



**Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas,
Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera**

Busaeus, Johannes

Mogvntiæ, M. DCVI.

11. Feria IV. Cinerum, de ieiunio, & thesauro in cœlo. Matth. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70978)

dam, qualem duxit Christus, gratias saepe agendas pro beneficiis, laudandum Deū, & alios eo pertrahēdos, sicut exemplo cæci turba hic pertracta est.

FERIA IV. CINERVM.

De ieiunio, & thesauro in cælo. Matt. 6.

1. CHRISTVS dixit discipulis. (*Tu cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans.*) Considera ieiunium, aliasque afflictiones corporis etsi occultè fiant, videri à Deo in abscondito, esse illi gratas, easque remuneraturum in cælo. 2. bona opera vt mereantur vitam æternam, debere fieri, primò humiliter, exclusa omni vana gloria, secundò hilariter, omni remota tristitia *Hilarem enim datorem diligit Deus.* tertio ad gloriam Dei & Christi: illud enim est *ungere caput nostrum Christū* id est, vnctū. quartò, cum bona intentione, v. c. ieiunare, vt satisfacias pro peccatis, vt Christum imiteris & sanctos; vt ad orandum promptior. Hoc enim est *lauare faciem.*

2. Cor.

9.

2. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra sed in cælo, ubi fures non effodiunt, &c.* Considera qui sint thesauri in terra, nempe

pe

pe opes, honores, voluptates, existimatio
 nominis ob potentiam, eruditionem, &
 quicquid tolli nobis hic potest. thesauri
 verò in cœlo, sunt virtutes & bona opera,
 quæ sola post mortem nos sequuntur in cœ-
 lum iuxta illud: *Beati, qui in Domino mo-* ^{Apoc.}
riuntur, opera enim sequuntur illos. 2. inde ^{14.}
 sequi multa bona opera debere te facere,
 quia thesaurus non conficitur nisi ex mul-
 tis. Vbi vide quibus maximè thesauri in
 cœlo promissi sunt. nempe qui multa pa-
 tiuntur propter Christum; qui omnia pro-
 pter eundem relinquunt, & c. 3. *Vbi est the-* ^{Matt.}
saurus tuus, addit Christus, ibi est & cor tu- ^{5.}
um. vt scias, te, si verè thesaurum in cœlo ^{Matt.}
 habes, mentem sapius debere attollere in ^{19.}
 cœlum, & vbiq; Deum quasi præsentem,
 qui est nobilissimus thesaurus tuus, con-
 templari.

Confidera de ritu Cinerum. 1. eos fron- ^{3.}
 ti aspergi, ad discendam humilitatē cor-
 dis. Sacerdos enim dicit. *Memento homo,* ^{Gen. 3.}
quia pulvis es & in pulverem reverteris: hu-
 militas enim reo veniam petenti in primis
 necessaria est. 2. benedicti sunt, vt benedi-
 ctionem gratiæ cœlestis consequamur. 3. vt
 nouissimorū crebro recordemur & vt vsq;
 ad cineres, i. mortem in gratia persistamus.

DO-